FVNEBRE SYMBOLVM VIRORVM ALIQVOT ILLVSTRIVM, DE OPTIMO & *doctiſſimo viro* ORONTIO FINAEO, *Regio Mathematũn profeſſore & illu-ſtratore.*

EIVSDEM ORONTII VITA, CAR-*mine per Anton. Mizaldum paucis expreſſa: Cum catalogo omnium librorum, quos ille idem* ORONTIVS *partim emiſit, partim moliebatur.*

LVTETIAE,

Apud AEgidium Gourbinum, ſub inſigni Spei, prope collegium Cameracenſe.

M. D. LV.

PIIS MANIB. ET IMMORTALI GENIO ORONTII FINAEI REGII MATHEMATῶN PROFESSORIS ET ILLVSTRATORIS, AMICI DOLENTES AC MOESTI EX ANIMO VOVEBANT, M. D. LV.

FVNEBRE SYMBOLVM VIRORVM ALIQVOT ILLVSTRIVM, *de optimo et doctiſsimo viro* ORONTIO FINAEO, *Regio mathematῶn profeſſore & illuſtratore.*

ANTO. MIZALDVS.

VRANIE *nuper Tellurem irata vocauit*
In ius: dicta dies, iudice ſtāte Ioue.
Obijcit, indignā, quam doctus ORONTIVS *vltrà*
Incolat: immemoris poſtulat officij.
Accuſat, meritos quòd ei non ponat honores,
Nec tradat ſtudiis præmia digna ſuis.
Hiſque ream peragit: Tellus ſibi conſcia, nuſquam
Comparet: causâ, quò fit, vt illa cadat.
Profert Vranie leges ſacráſque, piáſque,
Queis bene FINAEVM *comprobat eſſe ſuum.*
Illuſtrat me (inquit) reparat, mihi denique ſudat:

Debeo mercedem,debeo iure,dabo.
Nempe mathematicam ex auro rutilante coronam:
Quam capiti imponam dum ſua fata volent.
Hæc placuere Ioui:qui mox vt ORONTIVS *ad ſe*
Scandat, Mercurium ſignificare iubet.
Qui monitis parens,ſaluus ſis,inquit, ORONTI
Optime,te cœli numina ſacra vocant.
Te ſatis atque ſatis Tellus ingrata recepit:
Ac tibi plus merito turpiter impoſuit.
Quare age, cœlorum ſublimia tecta reuiſe:
Hîc vbi pro ſtudijs parta corona tibi:
Hîc vbi ſudorum merces erit ampla tuorum:
Hîc vbi perpetua luce beatus eris.
Hæc dicens,interſtellanteis ſuſtulit orbeis
Illum,& ter merito fecit honore frui.
Ergo diu in terris illuſtri lumine fulgens,
Nunc cœlo rutilat ſidus ORONTIACVM.

ANTO. ANGLVS, ANGELVS.

Si dignus eſt cœlo omnium ſententia,
Si in ordinem Deorum ille immortalium
Iure referri debet,quiſquis domi & foris
Rebus præclarè geſtis,de republica
Sua,imò de orbe vniuerſo bene meritus
Vitâ deceſſit, Archimedem illum Gallicum
ORONTIVM FINAEVM, *illũ, illũ termaximũ,*
Ornamentum cœli & ſoli admirabile,
Immortalem iam factum,& aſcriptum Dijs

Quis

Quis dubitet? aut quis tam rerum ignarus, &
Mentis inops id non agnoſcat & intelligat?
Extant virtutis, fidei, probitatis ſuæ,
Extant monimenta doctrinæ perennia:
Extant trophæa laboris ſui improbi:
Extant triumphales vbique vigiliæ:
Quæ hunc quà totus patet orbis, & vltra, ſi vſpiam
Eſſe poteſt, cunctis teſtentur fœliciter
Vixiſſe, à morte ſe vindicaſſe & ſuos.
In his loquitur & ſpirat pars viri optima.

LVY MESMES.

En ce cercueil eſt le corps eſtendu
D'ORONCE *mort: mort! c'eſt mal entendu:*
Il eſt là hault appellé par les Dieux:
Pour auec eux gouuerner touts les cieux:
Il eſt commis ſur la machine ronde,
Pour la reigler, compaſſer. En ce monde
N'ont aduiſé digne de ſi grand charge
Autre viuant, tant fuſt il iuſte & ſage.
Iuſques au ciel ſon nom s'eſt eſtendu:
Voila pourquoy, helas, l'auons perdu.

IOAN. PERRELLVS
Doctor medicus.

Athlas iampridem defeſſus dixit: ORONTI,
Si non ſuccurris, mundus, & aſtra ruunt.
Genua labant, feſſique humeri ſub pondere languent:
Me ſolus tanto faſce leuare potes.

Cœlos ſcande celer, quô mille ac mille frequenter
Duxiſti: & Boreum ſedulò prende polum.
Prende manu valida: Notium mox ipſe ſubibo:
Et ſic tam magno faſce leuatus ero.
Hoc potes & debes, cœlorum ciuis & hoſpes
Factus, pro meritis, próque labore tuo.

GVLIELMVS PHILANDER *ciuis Romanus.*

Ille, cui rerum clauſi patuere receſſus,
Atque arcana poli, clauditur hoc tumulo.
Clauditur anguſtè: ſed ſi huius cuncta perîſſent,
Orbis quotquot habet, non ſat erant tumuli.

ANTO. MIZALDVS.

O Mors, ferrea mors, mors adamantina,
Mors, quæ omneis lachrymas illachrymabilis
Ducis pro nihilo, quid miniter tibi?
O trux, ô rabida, ô ter quater inuida!
Sed conuicia nil proficiunt mea:
Ergo quid faciam? flebo, dolebóque?
Irrides lachrymas protinus impia:
Lætabor potiùs? hoc mihi non licet,
Qui verè ex animo diligo, quem rapis:
Sed dic interea barbara, quid lucri
Adfers ſurripiendo meum ORONTIVM?
Quo nil candidius, nílque benignius,
Ac nil doctius vnquam aut vigilantius
Viſum eſt in numero rite docentium,

Et

Et prompto calamo, machinulis quoque
Ornantûm variis, & vario modo
Non dicam numeros innumerabileis,
Sed cœli quod habent, Muſica quod canit,
Quod viſus referat, quod Geometria,
Et quod tota Matheſis tenuit diu
Obſcuris tenebris prorſus adobrutum.
His magnis operæ fac precium tuæ
O mors impia, mors dira, ſceleſtáque
Agnoſcas: facinus ſcilicet arduum
Tentaſti: haud moritur, qui moritur bene:
Viuit qui bene vixit, licèt obrutus
Sit ſaxis, vel aquis, vel tumulo graui.
I mors, inuidiâ rumpere: nam, velis
Nolis, viuus erit ſemper ORONTIVS,
Et ſemper celebris: quando labor, comes
Virtutum aßiduus, viuere nos facit.

BENEDICTVS PERRINVS.

Omnes morte tua gemunt ORONTI:
Luget te mare, te poli requirunt:
Aër indicat imbribus dolorem:
Te multùm repetunt nouem ſorores:
Necnon coniugij comes fidelis:
Vndarum lachymæ fluunt amicis:
Ecquid non ſoboles relicta ploret?
Bis ternos licuit videre natos:
Bis ternos inopes licet videre,

Dum tu pollicitis nimis potentûm
Fidens, in ſtudio vſque perſeueras.
Sed pulchram ſobolem Deus fouebit
Immenſa & ſolita benignitate.

IOAN. AVDIGERIVS.

Indignus tellure Deos, FINAEE, *petiſti:*
Sera quidem, tamen eſt tuta parata quies.
Virtute, ingeniíque bonis hoc ipſe tuliſti,
Vt cœli aſpiceres aurea tecta ſenex.
Quòd ſi certa ſuas referunt pòſt ſemina meſſes,
Emittet tumulus florida ſerta, roſas.

DOMINIC. IAQVINOTIVS.

Si virtute ſua, ſi ingenij bonis,
Nomen quiſque ſibi perpetuum parit,
Ac vitam recipit, dum moritur nouam:
Credendum haud dubiè quòd neque mors, neque
Tempus, nec tumulus percelebris viri
FINAEI, *poterunt nomen, & inclytas*
Virtutes, pariter perpetuum decus
Vnquam de medio tollere gentium.

Βενεδ. πεῤῥῖνος.

Μοῦσαι ἴδου φοῖβός τ' ὀδυνᾷ, Οὐρανίη δὲ
Κρέσσουσ' ἐλλίζει δεινὰ παθοῦσα τριχάς.
Βάσκε παρηγορέων παντλήμονα τὴν δὲ λόγοισιν.
Ἀλλ' εἰκῆ θέλξεις, κ' εἰς κένον ἔσθ' ὁ πόνος.
Εἰ Κῦπρίς σε Ἄδονι νέκρον δάκρυσε Φιναῖον,
Πῶς οὐ δακρύσει τὸν νέκρον Οὐρανίη;

IDEM.

IDEM.

Si Cytherea potens te extinctum fleuit, Adoni,
FINAEVM *Vranie collachrymare poteſt.*

IOANNES MIZALDVS.

Athlas Vraniæ dicebat, ORONTIVS *à te*
Cur mihi, cur terris (inuida) ſurripitur?
Stellantis cœli ingentiſſima pondera mecum
Viuens portabat viribus indomitis.
Nil mirum, poſthac nimio ſi pondere preſſus
Succumbam, & peſſum cœlica regna ruant.

IOANNES FINAEVS,
maior ORONTII *filius.*

Flere licet, lugere iuuat, plorare neceſſe eſt,
Cauſa iubet, res eſt cognita, fata volunt.
Fata volunt, Parcæ cogunt, cogunt quoque Diui,
Qui mihi perdoctum ſurripuere patrem.
Crudeles nimiùm Diui, nimiúmque ſeueri:
O dolor! an veſtrum eſt hoc pietatis opus?
Vos Aquilas ſinitis triſtem mutare ſenectam:
Vos ſinitis Coruos viuere ſecla decem.
Vos Angues etiam nitidâ veſtire iuuentâ
Vultis, & antiquæ ponere terga cutis.
A recti prauos homines, & ab igne ſceleſtos
Seruatis: doctis gratia nulla viris.
Crudeles nimiùm Diui, crudelia cœli
Numina, crudelis ferrea Parca patri.
Quæ dignum Pilios illum qui viueret annos,

Prolongare dies inſidioſa negat.
Quid faciã? ad quem confugiam? magicóſne vocabo,
Vt ſurgat genitor, ſpes mea, vita mea?
Ah abſit: potiùs dominum terræque, políque
In mea conſtanti vota vocabo fide.
Sit meus vt rector, mihi ſit pater, & mihi vita:
Cui ſoli atque vni gloria, laus, & honor.

ORONTIVS FINAEVS,
minor ORONTII *filius.*

Heu heu, chare parens, parens diſerte:
Qui viuens fueras meum leuamen:
Has triſteis lachrymas tibi vouere
Cum luctu, gemitu, dolore, planctu,
Et poſſum & volo pro labore, próque
Victu, ac aſsidua inſtitutione.
Ah deſiderium tui perenne,
Poſthac filiolum dies & horas
Omneis afficiet: vale, vale, inquam,
Mi dilecte parens, future mecum
Dum viuam & moriar per omne tempus.

Ἀντων. Μιζαλδοῦ πρὸς υἱοὺς τοῦ
Ὀροντίου, παράκλησις.

Μὴ πενθεῖτε φίλοι, μὴ θρῆνον καὶ δακρυχεῖτε,
Γεννήτωρ ὑμέων κεῖται ἐν ἡσυχίᾳ.
Πολλά τε καλλίστως γράψας, πολλούς τε διδάξας,
Σὺν τοῖς ἀθανάτοις ἀθάνατος διάγει.
Οὐρανὸν οὐράνιος νῦν οἰκεῖ κάρτερος ἀνήρ.
Αἰώερος ζώσει, μὴ δακρυχεῖτε φίλοι.

Idem,

Idem, Latiné.

Ne, chari, lugete diu, nec ſpargite fletus:
Nam veſter genitor pacis in æde iacet.
Conſcripſit multa, & docuit quamplurima: quò ſit,
Immortali vt ſit proximus ille Deo.
Nunc cœlos cœleſtis habet: mihi credite, ſemper
Sublimis viuet: ne lachrymate, boni.

IDEM MIZALDVS ad eoſdem.

Eſt pietatis opus patrem lugere modeſtè:
Immodicè & nimiùm, non reor eſſe pium.
Ergo ſatis queſtum, pueri, mihi credite, cœlum
Deſpuit hos planctus, non amat has lachrymas.
Cum Chriſto genitor veſter ſine fine beatus
Viuit, & æthereo ſtatque, ſedétque loco.
Vt cœlum & terram voluit cognoſcere cunctos:
Sic illum noſcent hæc duo, donec erunt.

CLAVDE DAVID.

Qui eſtoit bien le Demon ſi habile,
Qui rauiſſant du ſiecle l'ornement,
Nous appauurit, le ciel en vn moment
Enrichiſſant d'vn' ame ſi gentile?
Tu as laiſſé, quiconques ſois, debile
Des libres arts le plus ſeur fondement:
Comme ſans fleur vn pré, auſſi comment
Sans Gemme aneau fais le monde inutile.

Mais maintenant ton eſprit heureux vole,
ORONCE, autour de l'vn & l'autre pole:
N'ayant ſoucy de nos pleurs & tourment.
Quant à ton corps, i'ay à la terre enuie:
Veu qu'elle tient celuy, qu'eſtant en vie,
Ne mit iamais en elle penſement.

DV MESME.

Il eſtoit nuict, & d'vne obſcurité
Eſtoit voylé du ciel noſtre hemiſphere,
Quant quant la main, qui de nul ſe tempere,
Couppa le fil de ſon humanité.
Tu ne voulus alors trop irrité
Ce crime voir, ô de Diane frere:
Ia tu auois, fuyant telle miſere,
Chez Ocean logé ta deité.
Euſſe tu moins contaminé tes yeux,
Voyant meurdrir le nourriſſon des dieux,
Celuy qu'auois inſtruict des ſon enfance:
Que d'aßiſter à la cruelle table;
Qu'oſa bailler le frere impitoyable,
Dont enſuyuit apres iuſte vengeance?

ENCORES DV MESMES.

S'il eſtoit vray que la diuinité
Euſt des humains quelque compaßion,
Et que ſouffrir aucune paßion
Peuſt bien tomber en l'immortalité:

Des

Des Muſes or pleurer la deité
On pourroit voir, de grande affection:
Et ſe plaindroient ſur noſtre nation,
Felonnes ſœurs, de voſtre auctorité.
Ainſi Venus d'Adonis, & la Lune
De ſon dormeur, ainſi l'Aurore brune
Pour ſon Memnon, crient vengeance aux dieux.
Mais de Pluton le iuge inexorable,
Et des deſtins le ſort inuiolable
Ne leur permet en auoir rien de mieux.

IOANNES VEZVVIVS.

Siccine de medio ſublatus ORONTIVS *orbe*
Priuarier tam debuit citò vitâ? ECHO. *Ita.*
Cur, ita? ſi tantus nobis ſupereſſe profeſſor
Potuiſſet, an non melius id fuerat? EC. *Erat.*
Quippe ſciit numeros, terræque, polique receſſus:
Quos explicare quando deſiit? EC. *Sciit.*
An ſibi ſat longos æuum protraxit in annos,
Laboribus tot vſque prenſatis? EC. *Satis.*
Num nobis, ſobolique parum, charæque iugali:
Luctum quibus reliquit oppiparum? EC. *Parum.*
Dic, quæſo, de ſe moriens quid liquerit orbi:
Nullum ſcio liquiſſe dedecus. EC. *Decus.*
Quid terræ dederit (quam tam bene pinxit) habēdum
Si diceres, rogare deſinerem. EC. *Cinerem.*
Mens adeò nullis huius obnoxia mundi
Faſtubus, ad aſtra nónne pertranſiit. EC. *Iit.*

Ceſſo igitur luctum per te perſuaſus. At iſthinc
Si quando abire me voles, iubeas. EC. *Eas.*

IDEM.

Implicitus vili FINAEVS *corpore, finxit*
Voce viros, tabulis γῆν, calamóque polum.
Inuida mors, eius quæ nunc de cæde triumphat,
Hac nece dum tribus his credit obeſſe, iuuat.
Indigetis data fama viris, terræque cadauer:
Mens ijt ad ſuperos, venerat vnde, lares.

SONNET, PAR LVY MESMES.

Non ſeulement pour ſouſtenir les Cieux
ORONCE *à prins du grand Athlas la place,*
Qui les deux pols & les aſtres embrace
Si dextrement, qu'impoſſible eſt de mieux:
Mais de la Terre enſemble ſoucieux,
A figuré tant bien chacune place
De l'Vniuers, que ſon ſçauoir efface
De Ptolomé le renom en tous lieux.
Les Cieux craignants, que par trop entreprendre
A eux ne peuſt, & à la terre entendre,
De ſa preſence ont ce monde forclos:
Et pour de luy iouyr plus à leur aiſe,
Ont ſon eſprit mis hors de tout malaiſe,
L'oſtants du corps, ou il eſtoit enclos.

ANTO. MIZALDVS.

Deſine miratrix priſcorum fama dierum,
Et iactare tuos, & celebrare tua.

Non eſt Aeacidæ quòd nunc mireris Achatem:
Quem tot carminibus te ceciniſſe ferunt.
Qui geſtaſſe nouem muſas cum præſide Phœbo
Dicitur, & doctam continuiſſe chelyn.
In nuce præterea clauſam præſtantis Homeri
Iliaden non eſt quòd memorare queas.
Nam lapidem dabo, quem præclara Lutetia ſenûm
Forte pedum retinet, qui meliora capit.
Quæris quænam ſint? & cœlum, & ſidera: paucis,
Quòd Ptolmæus habet, tota Matheſis habet.

ACADEMIA PARISIENSIS,

PER EVNDEM.

Scandebat niueo medij faſtigia cœli
Luna iugo, ſecum ſomnia vana trahens.
Stratáque perplacidam capiebant membra quietem,
Et mea ſtringebat lumina victa ſopor.
Cùm mihi ſub tunica, muſis comitantibus, atra,
Cynthius ante meum eſt viſus adeſſe thorum.
Cui nulla intonſos ornabat laurea crineis:
Tangebat ſacram dextera nulla chelyn.
Qui ſimul ac madidis me proſpectauit ocellis,
Edidit hæc triſti triſtia verba ſono.
Neſcis, ah neſcis, florens Academia, morte
FINAEI *fuerit quanta ruina tibi.*
Gallorum rutilans lumen diſparuit: heu heu
Interiit quidquid tota Matheſis habet.

Tun' potes hoc triſti ſub caſu ducere ſomnos?
Surge, & lugubreis indue rite togas.
Idq́ue tui vt faciant doctores, diſcipulíque,
Iamiam præcipito: cognita cauſa: vale.
Vos, ô vos, quibus eſt bene notus ORONTIVS *ille,*
Hæc ſcite: ac luctus triſtia ſigna date.
Ferte elegos tumulo, necnon ἐπικήδια*: per me,*
Donec florebo, fama perennis erit.

LE SEIGNEVR ANGELO.

Celuy, qui ſceuſt du Ciel, & Terre entendre
Les grands ſecrets, cy giſt eſtroictement:
Que s'il euſt peu mourir entierement,
Mille tombeaux l'euſſent-ils ſceu comprendre?

Finis Symboli funebris de ORONTIO FINAEO, *Regio Mathematicarum profeſſore, & illuſtratore.*

VITA ORONTII PER ANTONIVM MIZALDVM *paucis expreſſa.*

LICET *viator, concito properes gradu,*
Vnum hoc amicè te precor, dum hâc commeas
Tantiſper hære, dum quod eſt verum intelligas:
Ter ille ſummus, & ter illuſtris ORONTIVS,
Præceptor, hoſpes charus, ac amicus meus,
Hoc in tumulo dormit, ſepultus ibi iacet:
Delphinas patriâ, in oppido Brianſonio
Natus, generoſo & nobili multùm patre,
Cui nomen erat Franciſcus, inſigni laurea
Olim datus à medicis, pariter & philoſophis,
In præmium laborum, vt eſt par & decens.
Quo mortuo, cùm iuuenis eſſet magni animi,
Lutetiam venit: vbi perfectis ſtudiis
Fœliciter, & ſacro fauente Mercurio,
Sociam ſibi fecit, paritérque coniugem

DIONISIAM, *cognomine vero* CANDIDAM,
Formâ ſpecioſâ, ac immaculatis moribus:
Cum qua decies bis vixit annos, plus minus.
Atque ex ea ſuſcepit innumeram, & probam,
Ac egregiam ſobolem: ſed ex qua ſunt hodie
Tantum ſuperſtites (niſi fallor bene)
Sex: maſculi quinque, & puellula vnica.
Ille eſt ORONTIVS, *ille* ORONTIVS *meus*
Præceptor, hoſpes charus, ac amicus bonus,
Cunctis abundans dotibus cùm corporis,
Tum mentis, & raris Deæ cæcæ bonis:
Orbis columen, & Galliæ excellentiſſimum
Miraculum, lumen, decus, ſpectaculum:
Candore vitæ, moribus integerrimis,
Turbæ fugâ, domeſtico ſilentio,
Amore recti, charitate proximi,
Seræque noctis lucubratiunculis,
Bene cognitus ſuis domi, necnon foris.
Perpauca multis, multa paucis diſſerens
Feſtiuiter, ſalſeque dictis plurimùm
Gaudens, & ingenuos iocos referens libens:
Præceps ad iram, cætera prorſum candidus.
Cui Lutetiana debet Academia
Vel id, quòd illic maxima cum gloria
Mathematicæ artes bene docentur: quas omnium
Primus, ſepultas miſit in lucem, ac docuit,
Annos, vt aiebat, decies ter, ac amplius:

A Re-

A Regibus duobus acceptis annuis
Stipendiis,ob idq́ue profeſſor publicus:
Pro dignitate ſe gerens prouinciæ:
Quam lectionibus variis,& doctiſsimis
Ac aureis libris ad vſque miraculum,
Dum vixit,illuſtrauit,vt notum eſt omnibus
Tum literatis,tum probis,tum candidis:
Queîs adfuit,queîs profuit,fauit,contulit,
Quantùm licebat pro modulo,& pro viribus:
Nunquam ocioſos eſſe ſuſtinens ſuos:
Sed verè honeſtis occupans negociis:
Amatus omnibus,omnibúſque amabilis.
Huic animus vſque,huic vnicus fuit ſcopus,
Huic ſumma cura,huic propria ſemper functio,
Bonas vt horas collocaret non male:
Nullius æquè,ac temporis, parcus rei,
Nimio proinde vt ſe ſtudio,noctes,dies
Conficeret,imò funditus ſe perderet:
Sic compoſitus,vt nominatim quempiam
Nulla inficeret labecula,vel incommodo:
Licèt impudenter prouocarent ſæpius
Mali φίλαυτοι,glorioſuli,liuidi,
Diris notandi iure Iambis optimo.
Caſus per omneis,omnibúſque exercitus
Malis & aduerſis,patiens ſemper fuit:
Tuam vſque præſtans,Socrates,conſtantiam:
Prudentiámque ſimplicem præ ſe gerens:

Sempérque ſatagens pro malis bona vt redderet.
Non arcuato Scorpionis vulnere
Mordens, laceſſens, conficiens, & enecans:
Is captioſa & peſtilentia dogmata
Exploſa ſanctos per patres olim, quibus
Vbique vulgus imperitum fluctuat,
Certò vt venena exhorruit præſentia,
Omneis in hoc neruos & omnem induſtriam
Tendens, & adhibens, contrahens ac explicans,
Vt Chriſtianiſmum referret puriſſimum.
Is Regibus tantùm fuit mirabilis,
Vt eius ædes ingredier ſæpiſſime
Non ſint recuſati: pariter multi Duces,
Et Cardinales, & numeroſi nobiles,
Necnon Legati gentium atque Principum,
Vt cum viro tanto loqui percommodè
Poſſent: adhæc videre quæ manu propria
Vel pinxerat, vel ſculpſerat, vel deſcripſerat,
Non dico chartas, aut libros, ſed mille organa
Mathematica, vel alterius artificij.
Ille eſt ORONTIVS, *ille* ORONTIVS, *meus*
Præceptor, hoſpes charus, ac amicus bonus:
Qui hoc in tumulo dormit, ſepultus ibi iacet:
Docti quod omnes nunc ferunt ægerrimè:
Extincta ſiquidem ſunt μαθήματα omnia,
Necnon ſepulta cum viro tanto: prô dolor!
Acumen illud, illud ingenium periit,

Dignum

Dignum quod omni permaneret ſæculo.
Sed ceſſo plura conqueri: Viator, Vale:
Hæc ego volebam tibi referre: iterum Vale:
Et manibus ſepulti ORONTII *faue.*

OBIIT LVTETIAE IN SVIS AEDIBVS, PRIDIE NONAS OCTOBRIS, ANNO REPARATAE SALVTIS HOMINVM, M. D. LV. HORA A MERIDIE QVARTA, QVA ILLE IN LVCEM VENERAT, NATVS ANNOS LXI. FERE: IACET IN COENOBIO CARMELITARVM.

SEQVVNTVR OPERA, QVAE ORONTIVS FINAEVS Delph. Regius Mathematicarum diſciplinarũ profeſſor & illuſtrator magna diligentia conſcripſit.

De Arithmetica practica libri quatuor: iis qui ad Mathematicam adſpirant philoſophiam perutiles.

De Geometrica praxi libri duo, vbi de circuli quadratura, & longitudinum, planorum, atque ſolidorum dimenſionibus.

De mundi ſphæra, ſiue Coſmographia, primáve Aſtronomiæ parte, libri quinque, propriis eiuſdem ORONTII commentariis elucidati, & ſine commentariis.

De quadrantibus & ſolaribus horologiis, libri quatuor: in quibus præter emẽdatas aliorum inuentiones, plurima ſuo excogitauit ingenio, & hydraulicum inter cætera horologium, æqualia deſcribens horarum interualla.

De ſinibus, hoc eſt, rectis in circuli quadrante ſubtẽſis, libri duo, vnà cum eorundem ſinuum tabula.

Organum ſinuum, quo tum Geometrici, tum Aſtronomici canones ex quatuor ſinuum proportione pendentes mira facilitate tractantur.

Commentaria, ſiue demõſtrationes in ſex priores libros elementorum geometricorum Euclidis.

Quadrãs vniuerſalis Aſtrolabicus, omnibus Europæ regionibus inſeruiens, eiuſdem, & amplioris, cum ipſo Aſtrolabio commoditatis.

Æquatorum Planetarum, ſub quadrãgula & altera parte longiori forma comprehenſum.

Theoricæ Planetarum gallicè conſcriptæ, & ele gãtiſsimis figuris ornatæ : vnà cum Armillis & Metheoroſcopio Ptole.

Almanach coniunctionum & oppoſitionũ luminarium, cũ iis quæ ad eccleſiaſticum computum ſpectare videntur, xxxv. annis inſeruiens.

Aliud item Almanach vniuerſale, vtiliſsimis refertum commoditatibus, gallicè & latinè conſcriptum, pluribus annis duraturum.

Chorographia Galliarum, ſeu charta Gallicana, ſæpius impreſſa.

Deſcriptio vniuerſi orbis, ceu gemina cordis humani figura, vnico papyri folio comprehenſa.

Eiuſdem orbis ãplior deſignatio in vnicã humani cordis effigiẽ pulchrè coextẽſa, ſæpiúſq; impreſſa.

Chorographia terrarum ad ſacræ ſcripturæ intelligentiam neceſſariarum, quam vocant diui Pauli peregrinationem.

Quadratura circuli tandem inuenta, & clariſsimè demonſtrata.

De circuli menſura & ratione circunferẽtiæ ad diametrum, Demonſtrationes duæ.

De multangularum omnium, & regularium figurarum deſcriptione, liber hactenus deſideratus.

De inuenienda longitudinis locorum differẽtia aliter quam per lunares eclipſes, etiam dato quouis tempore, liber admodum ſingularis.

Planiſphærium geographicum, quo tum lõgitudinis atq; latitudinis differentiæ, tum directæ locorum deprehenduntur elongationes.

La ſphere du mõde, propremẽt dicte la Coſmographie, diuiſée en cinq liures: auec vne epiſtre tou-

chãt la dignité, perfection & vtilité des ſciences Mathematiques.

De duodecim cœli domiciliis & horis inæqualibus, liber non aſpernandus : vna cum ipſarum domorum atq; inæqualium horarum inſtrumento, ad latitudinem Pariſienſem ; hactenus ignota ratione deliniato.

De ſpeculo vſtorio, ignem ad propoſitã diſtantiam generante. Ex quo duarũ linearum ſemper appropinquantium, & nunquam concurrentium colligitur demonſtratio.

Libri duo canonum Aſtronomicorum in duos quos de mundi Sphera conſcripſit libros, ac in Planetarum theorias.

Breuis elucidatio generalis horarij.

Brieue declaration de l'horloge ou quadrãt general.

Explication de l'vſage de l'Aneau horaire.

De rebus mathematicis hactenus deſideratis libri quatuor, figuris innumeris demonſtrati & illuſtrati. Quibus inter cætera, circuli quadratura centũ modis et ſupra recẽter excogitatis aperitur ac demõſtratur: qui liber veluti poſthumus, breui emittetur.

Alia quãplurima docta ſanè, & ingenioſa, ille idẽ Orontius moliebatur, quę, partim inclementia temporis, partim verò domeſticorum negociorũ impediente multitudine, necnon morte præueniente, abſoluere nequiuit. Quorum catalogum tibi alio loco deſcribimus.

Antonius Mizaldus, ex Bibliotheca & monimentis defuncti vitâ Orontij præceptoris ſui, colligebat.